



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Obligantur coniuges se inuicem corrigere. §. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

at si alteri ea bona applicata essent. At vxor interpellare poterit iudicem, qui ex officio maritum compellet vxori aliunde bona non habenti necessaria subministrare, sicut ex communi docet Inl. Clarus lib. 5. sententiar. §. adulterium num. 17. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 2. numero 2. vers. add.

Secundo excusatur maritus ab hac alimentorum subministracione si inops sit, quia nemo obligari potest ad impossibile. Quinimo vxor diues marito inopi ministrare alimenta debet, vti pluribus firmat Lara, leg. si quis a liberis §. si quis ex his, num. 14. ff. de liberis agnoscend. Surt. de aliment. tit. 1. quest. 57. num. 7. §. leg. & quest. 36. 2. num. 6. Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 27. Quod si maritus inops pecuniam mutuo accepit ad vxorem, filioque alendos, solutioque matrimonio nulla super sententia bona mariti, ex quibus illa debita soluantur, est plures censent vxorem, & filios conueniri posse, obligatoque esse, si bona habeant ad prædicta pecunie solutionem, vt potest in eorum commodum expensæ, & ratione cuius ditiores facti sunt: rectius Molina Iesuita disput. 43 §. 5. tertium est. & Sanch. lib. 9. disp. 4. num. 29. contrarium asserunt. Nam esto in eorum utilitatem illa pecunia consumpta sit, non fuit aliena, nequillis indebita. Quippe erat mariti, in cuius dominio translata erat, & licet maritus obligationem non haberet alendi vxorem, & filios cum inops esset, neque petendi mutuum pecuniam, quam soluere non poterat: at accepta ea pecunia, & illius dominus factus obligationem habet vxorem, & filios alendi, ac proinde vxor, & filii non ab alieno, sed ex vero domino, & ex sibi debitis sustentationem accipiunt, nullam ergo obligationem soluendi habent: idemque leg. 60. Tauri, quæ hodie est lex 9. tit. 9. lib. 5. recipiunt. Decidit mulierem renunciantem lucris constante matrimonio acquisitis obligatam non esse ad res alienum constante matrimonio contractam. Et in leg. 61. Tauri hodie 9. tit. 3. lib. 5. recipiunt. aliter mulierem obligatam non esse ad debita contracta à marito, nisi probatum fuerit simul cum marito se obligasse, & in eius utilitatem mutuum cessisse: ergo si vxor, & filii expressè ad solutionem mutui non se obligauerint, tamen in eorum commodum expensum sit, non tenentur.

Tertio excusatur maritus ab alimentis vxori præstandis, si dos promissa soluta non fuerit: siue fuerit promissa ab vxore, eiusque parentibus, siue ab alio quocumque extraneo, quia maritus de dote conueniens pro alimentis vxori præstandis tenetur in eadem nullam obligationem alimentorum subire dote non soluta. Ea tamen est differentia inter promissionem dotis factam ab vxore, eiusque patre, vel ab extraneo, vt rectè Sanch. lib. 9. disp. 5. num. 5. quod dote promissa ab extraneo, & non soluta nullam maritus obligationem habet alendi vxorem, tamen si ob impotentiam non soluat: at si ab vxore, eiusque patre promissa sit, si ex impotentia non soluerit, modo tempore promissionis eam impotentiam non agnouissent: tenetur maritus vxori alimenta præstare, ac si dote receperit, quia censenda est dos ex casu perire fortuito; siquidem absque culpa vxoris, vel parentis non soluitur. Quique conueniri nequeunt pro dote soluenda vitra quam facere possunt.

Verum esto excuserit maritus ab alimentis vxori præstandis ob non solutam dote promissam, non tamen excusatur ab obligatione reddendi debitum, ipsamque regendi, & gubernandi, quia hæc obligatio ex matrimonij contractu nascitur, à qua eximi non potest contractu non dissoluto, nec diuortio celebrato, vti tradit ex omnium sententia Molin. tract. 2. de iust. disp. 42 §. 5. si maritus dos. Sanch. lib. 9. disp. 5. num. 1. Ex qua doctrina exillimo necessario inferri maritum non posse ob dote sibi non solutam omittere traditionem sponsæ in propriam domum, aut iam traditam expellere, quia domestica cohabitatio necessaria est; vt debitum coniugum commodè exigere, eique reddi possit. Atque ita docent Couarruu. 2. part. decret. cap. 7. in princip. num. 2. Martien. lib. 5. recipiunt. tit. 1. Rub. gloss. 1. num. 91. Molina tract. 2. de iust. disp. 42 §. 5. si maritus dos. Sanch. alios referens lib. 9. disp. 5. num. 17.

Superest questio, An vxor obligari possit ad laborandum marito? Cui questionis optimè respondet Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 2. in fine, sub hac distinctione: si enim (inquit) sermo sit de labore ad gubernationem, & sustentationem familiæ necessario, qualis est cibos coquere, lavare vestes, &c. spectari debet loci consuetudo, & status vxoris, quæ si non pariautur huiusmodi labores fieri ab vxore sed à famula, non poterit obligari à marito ad prædicta præstanda: argum. leg. in tradum la 1. ff. de operis liberor. ibi, Sed si libera quis operas promissit ad eam dignitatem pertinet, vt inconueniens sit præstare patrono operas, ipso iure hæc interdicunt. At si prædicti labores status vxoris non dedecent, vel in pauperes sint, vt maritus famulam conducere nequeat, sine dubio ad prædictum laborem præstandum obligari à marito poterit, vt pluribus exornat Sanch. lib. 6. de matrim. disput. 6. num. 14.

Verum si loquamur de labore ad lucrum necessario, tunc

subdistinguedum est, si vxor attolit dotem ex cuius fructibus alii a marito sufficienter potest, nequaquam cogenda est ad laborandum, quia vxor non tenetur operari, vt marito lucrum acquirat, cum sic lucrata ad vxorem iure communi pertineant. At si nullam dotem attulit, vel attulit insufficientem, vel culpa vxoris, aut casu fortuito perit, cogi poterit ad laborandum iuxta eius statum, & conditionem; quia eo casu non est censenda labore in marito lucrum, sed in propriam sustentationem.

§. III.

Obligantur coniuges se inuicem corrigere.

- 1 Vterque alterum corrigere tenetur, sed cum discrimine.
- 2 Vir vxorem delinquentem moderate punire potest.
- 3 Quæ sint pœnæ, quas maritus vxori imponere possit in pœnam delicti commissi?
- 4 Punitio ex recto sine fieri debet, & delicto commensurari.

Cum coniuges indiuiduam vitæ consuetudinem retineant, æquum est vt coniugali se inuicem affectu corrigant, & ad peccatorum emendationem adiuent, hoc tamen discrimine. Nam cum vir sit caput vxoris Genes. 2. Ad Ephes. 5. & 1. Corinth. 11. potest vxori præcipere ea quæ ad familiæ gubernationem iudicauerit expedire. At vxor nullum marito præceptum imponere potest. Deinde marito exhortatione, & punitio datum est vxorem corrigere. At vxori vt potest sub viri potestate exillente sola exhortatione, non punitio permittitur. Hoc igitur supposito,

Potest vir vxorem delinquentem in pœnam delicti commissi punire, punitio inquam leui, & moderata, vt constat ex leg. rei iudicata ff. soluto matrimonio, neque enim mancipium est, nec famula, sed sociæ, & adiutrix. Quod si delictum eius conditionis sit, vt grauem punitioem exigat, non obinde marito conceditur ea punitio, sed leuis tantum, vt publicæ potestati integrum, & illæsum ius maneat puniendi prædictum delictum, si ad eius tribunal deferatur, vt notauit Victor relect. de potest. ciuili in fine. Paul. Layman. libro 5. tract. 10. 3. parte capite 2. numero 9. Neque enim vir comparatione vxoris, & paternæ comparatione domesticorum potestatem puniendi sibi subditos habent, nisi quatenus à Republica illis concessum est. Quippe potestas delicta puniendi iure ipso naturali in communitate residet, ea namque quo plures in vnum congregantur, ea communitas potestatem habet delicta puniendi, alias nec communitas conseruari, neque in suo munere contineri possent. Verum quia communitates diuersæ sunt, aliæ perfectæ, vt est ciuitas, prouincia, regnum, nemini alteri subordinata; aliæ imperfectæ quæ partes sunt harum ciuitatum ipsisque subiectæ, inter quas minimum locum obtinent familia, integra potestas delicta puniendi vsque ad mortis pœnam in communitate perfecta residet, seu in eo qui prædictæ communitati præest; at communitas imperfecta, & qui illi præest ea solum potestate gaudet, quæ à perfecta communitate conceditur, & iudicata est sufficiens ad illius conseruationem. Quapropter maritus comparatione vxoris est potestatem habeat eius delicta puniendi, non tamen pœna graui sed leui & moderata, leuior inquam quam filiorum delicta, & longe leuior quam mancipia, quia à perfecta communitate amplior potestas non conceditur, vt ex vsu, & consuetudine constat, neque oportebat concedi, vt sic mutuus coniugalis amor efficacius conseruaretur.

Quod si roges quæ sint pœna permittæ marito, quibus vxorem punire possit, & quæ non? Breuiter respondeo spectandam esse loci consuetudinem attentâ vxoris conditione, quippe vxor humilis, & plebeia grauius puniri solet quam nobilis. In particulari autem certum est non posse maritum punire vxorem pœna mortis, mutilationis, exilij perpetui, carceris, vulneris, alteriusve percussiois, ex qua eius salus, vel membrum periculum subeat; has enim pœnas sibi Respublica perfecta reseruaui, quas nec dominis comparatione seruorum permittit. Plerumque censuram subtractionem cibi maritum vt debere in vxore puniendam, quia hæc pœna sufficiens videtur ad continendam vxorem, & eius defectus communiter contingentes puniendos. Cui pœnæ addi possunt aliquot reclusionis dies etiam compedibus appositis. Nam licet priuati carceres omnibus priuatis interdiantur, vt constat ex lege vltima Cod. de priuatis carceribus. Et habetur lege regia §. tit. 23. lib. 4. noua collect. Et tradidit D. Thom. 2. 2. quest. 65. art. 3. id intelligendum est de carcere perpetuo, & ordinario, secus de carcere imperfecto, quique commisso delicto, & ad breue tempus designatur, vt rectè notauit Molin. tract. 3. de iust. disp. 1. num. 18. vxorem tamen cadere alapis, conculcare pedibus, sultibus percutere raro permittentem, quia coniugali affectu, & timori qui semper spectandus est, hæc graues punitioes si frequentes sint non leuiter obstant. Minus secus concedendam verberum punitioem, quia hæc seruorum propria est, vt colligitur ex leg. consensu post priuati Cod.

Cod. de repudiis. Authent. de nuptiis §. mitiores collat. 4. Et licet aliquando causa vigente ingenui soleant hac affici punitione, id contingit cum in minori aetate sunt constituti. Quapropter (nisi causa gravissima vigeret) peccatum mortale existimarem eam punitionem, etiam si in suo genere levis, & moderata sit, quia ex se vxorem maxime dedecet, & in plurimum sententia sufficientem praebet diuortij causam. Atque ita sustinent Sorus, lib. 5. de iustit. quest. 2. art. 2. in fine corp. Arag. 2. 2. quest. 65. art. 2. vers. de marito. Sanch. lib. 10. difficult. 18. num. 16. plures referens Molin. tractat. 3. disputat. 2. in fine numero 20. Rora apud Farinac. decis. 371. Basil. Ponce, lib. 9. cap. ult. num. 5.

- 4 Duo vero in hac punitione seruanda sunt; primum, ne punio delictum excedat, sed illi commensuretur; quin potius expedit ut maritus leuis vxorem puniat, quam delictum exigat. Etenim hac ratione pax, mutuaque benevolentia inter ipsos conseruabitur. Secundum, ne ex odio punio fiat, sed ex charitate, zeloque iustitiae ad correptionem, emendationemque vxoris, & in domesticorum exemplum.

PUNCTUM VI.

De dissolutione matrimonij quoad thorum, & habitationem.

1 Hucusque de proprietatibus matrimonij sumus locuti, superest differamus de eius contrariis. Matrimonium namque diximus vinculum esse indissolubile, obligationemque secum trahere reddendi debitum, simulque cohabitandi. Et licet iudeis fuerit permillum matrimonium consummatum dissoluere Deuteronom. 24. & Malachias, 2. At post legem Euangelicam Matth. 5. & 19. nec Iudeis, nec Gentilibus permillum est vinculum matrimonij consummatum dissoluere: solum enim fauore fidei matrimonio infidelium conceditur dissolutio, si alter ad fidem conuertatur, altero in infidelitate remanente. Extra huic casum vinculum matrimonij consummatum tam fidelium, quam infidelium indissolubile persistit, sola morte coniugis dissoluendum, uti tanquam de fide certum definitum est ab Alexand. III. cap. ex parte de Sponsalibus, & a Concil. Florent. in Armenor. instrust. & a Trident. sess. 24. can. 10. Neque his obstat quod Christus Dominus Matth. 19. dixerit: *Qui cumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit moechatur, & qui dimissam duxerit moechatur*, quasi diceret ex causa fornicationis dimitti vxorem posse, & aliam duci absque moechia; id enim indicat exceptio illa nisi ob fornicationem. Non inquam obstat, quia Christus Dominus solum dixit moecharium, qui vxorem dimittit extra causam fornicationis. At de dimittente causa fornicationis existente (inquit Caietan. in praesenti) nihil decidit. Praeterea Christus Dominus, voluit eo in loco libellum repudij, quo matrimonij vinculum, & mutua coniugum habitatio dissoluebatur omnino tollere, & solum permittere dissolutionem cohabitationis ex causa fornicationis, ideoque inquit, *Qui vxorem suam dimiserit excepta causa fornicationis moechatur, quia iniuste dimittens facit eam moechari*. Praedictus ergo Textus dissolutionem cohabitationis interdicit nisi ex causa fornicationis, nullo verbo facta de dissolutione vinculi coniugalitatis, sicuti explicat August. lib. 1. de adulter. coniug. cap. 9. Abulens. c. 19. Matth. quest. 76. Maldonat. & Iansen. ibi. Sanch. lib. 10. de matr. disp. 2. num. 3. ubi alios Textus contrarium indicantes explicat. Quocirca questio versatur, quibus ex causis obligatio thori, & coniugalitatis habitacionis dissolui inter coniuges possit; Et nemini est dubium posse dissolui ex mutuo consensu, quia nullo iure inuenitur interdictum, quin potius colligitur concessum ex Paulo 1. Corinth. 7. debet tamen fieri dissolutio non ex odio, & indignatione, sed amore castitatis, & absque incontinentiae periculo, ideoque mature, & longa examinatione facta, & non aliter haec separatio facienda est, ut frequenter omnes Doctores consulunt. Superest ergo examinandum, qualiter ex delicto haec cohabitatio dissoluitur?

§. I.

An ex causa fornicationis dissolutio coniugalitatis habitacionis fieri possit?

- 1 Adulterium causa est sufficiens, ut vir ab vxore in perpetuum diuortetur.
- 2 Nomine adulterij qualibet copula etiam sodomitica intelligitur.
- 3 Debet adulterium formale esse.

1 Adulterium vxoris causam esse sufficientem, ut vir ab vxore diuertere in perpetuum possit, constans est omnium Catholicorum sententia ex illo Matt. 5. & 19. Ego autem

dico vobis, quicumque dimiserit vxorem suam excepta causa fornicationis, &c. Et ex cap. significasti. Cap. gaudemus. C. ex litteris de diuort.

Et licet Christus Dominus, alique Textus Iuris Canonici solum de adulterio vxoris vitio grauiori mentionem fecerint, ideoque Caiet. in illud. Matth. 19. censuerit solum vix concedi ob adulterium vxoris separationem. At verissima sententia defendit in hac causa vtrumque coniugem pariter esse, licetumque esse vxori ob adulterium viri diuortium celebrare. Non enim censentur coniuges obligati ad mutua cohabitationem, & debiti redditionem, nisi quatenus sibi inuicem fidem daram serauerint. Quare cae fide violata ab obligatione reddendi debitum, mutuoque cohabitandi innocens siue vir sit, siue foemina absolutus, sicuti pluribus comprobatur Sanch. lib. 10. disp. 3. num. 6. Farinac. 4. com. quest. 147. num. 9. Guierri. de matrim. cap. 12. g. num. 2. Coninch. disp. 3. dub. 1. initio & num. 6. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 16. a num. 2. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. part. cap. 7. num. 8. Gaspar Hurtado disput. 11. difficult. 2. & colligitur aperte ex illo Pauli 1. Corinth. 7. *Huius qui matrimonio iuncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere* (subintelligit absque iusta causa.) *Quod si discesserit* (nempe ex iuxta causa) *manere in iuxta am, aut viro suo reconciliari*. Supponit ergo Paulus ex aliqua causa iusta posse vxorem a marito discedere, aliam cogere eam viro suo reconciliari, nullatenusque optionem daret se viro reconciliandi, vel continenter viuendi. Quod si aliquam causam iustam discedendi a marito vxor habere possit, maxime adulterium, quod fides sibi data violatur.

Nomine adulterij ratione cuius diuortium celebrari ab innocente possit, etsi aliqui censuerint solum copulam naturalem cum alieno viro, vel foemina esse intelligendam, communis sententia defendit teste Abbate in cap. maritus de adulter. num. 3. Sanch. lib. 10. disp. 4. num. 3. Coninch. disp. 3. dub. 1. conclus. 5. Basil. Ponce, cap. 16. num. 5. dicto cap. 7. n. 7. Gaspar Hurtado dicta difficult. 2. Riccio decis. 273. in praxi, & alii sodomiam, & bestialiam intelligi, quia his criminibus caro coniugis in alienam diuiditur contra matrimonij fidem. Debet autem sodomia, & bestialitas completa esse, id est cum seminis effusione, aliam non perfectam in alienam carnem esse diuisio, neque consummata iniuria, neque sufficiens diuertendi causa. Quod a fortiori procedit in tactibus, pollutione, siue secum tantum, siue cum alio, ut aduertunt omnes praecitati Doctores.

Debet autem adulterium occasione diuortij praebent formale esse; quare si ex aliquo capite ab ea malitia excusatur, eo quod ignoranter, vel per violentiam commissum sit, nullo modo occasione diuortij praebere potest, quia alteri coniugi iniuriosum non est, ut recte ex omnium sententia docet Basil. Ponce, lib. 9. cap. 17. num. 8. Sanch. lib. 10. disp. 5. a n. 11. Argum. cap. cum per bellicam. 3. 4. q. 2. Et leg. vxor 7. Cod. de repudiis. Quinimo Abbas conf. 4. n. 3. volum. 1. Rosella verbo Adulterium. n. 1. Sylu. ibi q. ult. Armilla n. 5. Tabiena, q. 1. n. 3. Gratia 2. p. decis. lib. 1. cap. 12. n. 72. casu 2. Et inclinat Gregor. Lopez, leg. 7. verbo per fornicat. tit. 9. part. 4. Et probabile censet Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 15. affirmant adulterium commissum ex metu cadente in virum constantem non concedere innocentios diuertendi, quia non ex malitia, & dolo, quod videtur requisitum iuxta leg. penult. ff. ad leg. Jul. de adulter. commissum est, & fauet August. relatus in cap. proposito. 3. 2. g. 5. excusans Lucretiam ab adulterij crimine non quoad culpam, sed quoad poenam eo quod metu coacta sit. Sed praedictis assentiendum non est, nam cum metus non excuset a culpa adulterij, & fidei datae violatione, quibus diuortium iure naturae innititur, non potest a diuortio, donecque amissione excusare, tamen excuset a poena legibus indicta, ut tradit Couarun. 4. decretal. 1. p. cap. 1. initio. n. 3. Azeuedo lib. 8. recopil. tit. 20. leg. 1. num. 22. Henricq. lib. 11. cap. 17. n. 5. & pluribus relatis Sanch. lib. 10. disp. 5. num. 16. Coninch. disp. 3. dub. 2. num. 10.

§. II.

Quibus in euentibus non liceat coniugi ob adulterium commissum celebrare diuortium?

- 1 Diuortium nequit esse, si vterque nocens sit.
- 2 Ob adulterium, cuius auctor est maritus non potest vxor repudiari.
- 3 Ex eo quod maritus causam remouit am adulterij vxori praestauerit, non impeditur a diuortio celebrando.
- 4 Ob adulterium iam condonatum nequit coniux innocens diuertere.
- 5 Si innocens signa remissionis adulterij praestet absque animo remittendi, probabile est in foro conscientiae ad diuortium conari posse.
- 6 Remissio solum esse potest de delicto praeterito, non futuro.